

nem caloris per alterationem successivam; unde quod ita incipit per primum sui esse, non oportet ut simul incipiat, sed quod in instanti absolvatur ac terminetur; neque oportet, ut diximus, in hoc esse simile sacramentum aliis entibus successivis, quæ non requirunt determinatam perfectionem, et veluti intrinsicam consummationem, sed solam successionem. Atque idem respondendum est ad alteram partem de definitione sacramenti; concedo enim, illud idem instans, quod est primum esse sacramenti perfecti, esse ultimum esse sacramenti, quod nullum est inconveniens, ut ex dictis facile constat.

19. *Confirmatur.* — Ultimo facile ex dictis intelligitur, quomodo sacramentum gratiam conferat in unico instanti, in quo et ipsum sacramentum existit et primo perficitur ac consummatur, quia in eo instanti omnia concurrunt, ut effectus fieri possit, quæ neque ante illud instans, nec post illud concurrere potuerunt, quia in eo instanti causa est essentialiter perfecta, et antea non fuit, neque postea duratura est; et alioqui subjectum est capax, et sine obice, ut supponimus; et effectus natura sua postulat, ut indivisibiliter fiat; ergo in nullo alio tempore vel instanti perfici commodius potest hujusmodi effectus. Quam doctrinam colligo ex D. Thoma, infra, quæst. 75, art. 7, ad 1 et 3, dicente, transubstantiationem perfici in ultimo instanti prolationis verborum, et quæst. 78, art. 4, ad 3, ubi dicit in ultimo instanti prolationis verborum habere verba virtutem efficiendi; et eandem doctrinam significat Capreol., in 4, dist. 2, quæst. 1, art. 3, ad 2 Scoti contra tertiam conclusionem, ubi refert alia loca D. Thomæ. Possunt etiam prædicta omnia confirmari quodam vulgari exemplo seu casu, nimirum, si contingat subjectum deficere in eo instanti, in quo consummatur sacramentum, ita ut illud instans sit primum non esse hominis, qui sacramentum recipit, an tunc detur gratia per sacramentum: nam juxta opiniones supra tractatas, et præsertim juxta quartam sequitur, sacramentum fuisse perfectum, et consequenter ratione illius danda esse gratiam, etiam si in illo ultimo instanti danda sit. Et ita sentiunt Major in 4, d. 16, et Adrian., materia de confessione, q. 4, quod tamen habet nonnulla incommoda. Primum, hominem, qui toto tempore vitæ fuit in peccato mortali, vel originali, in termino ejus incipere esse in gratia vel etiam in gloria, ratione baptismi. Secundo, salvari eum,

qui in hac vita, nec fidem actualem, nec habitualement consecutus est. Juxta nostram autem sententiam hæc incommoda facile vitantur: negamus enim illum hominem accepisse sacramentum, quia defuit illi aliquid necessarium ad essentiam et perfectionem sacramenti. Item, quia cum in eo instanti perficiatur significatio, et tunc deficiat subjectum, quod per verba significatur, non possunt tunc reddere verum sensum. Unde consequenter fit, ut neque tunc detur effectus sacramenti, quia sine sacramento non comparatur effectus, ut supra dictum est, et hoc significavit Soto in 4, d. 9, quæst. 2, art. 7, in fine.

20. *Objectio.* — *Solutio.* — Dices: si sacramentum in solo ultimo instanti confert gratiam, ergo non totum sacramentum facit illam, sed solum aliquid indivisibile sacramenti, quod in illo ultimo instanti existit. Respondetur simpliciter negando consequentiam, quia, licet sacramentum solum efficiat per illum ultimum terminum suum, tamen simpliciter totum sacramentum confert effectum, quia ille ultimus terminus non efficit, nisi in virtute seu ratione totius formæ. Item, quia, quod fit per partem, vel per aliquid, quatenus est complementum alterius, simpliciter fit ab ipso toto; sicut homo videre dicitur, licet non per omnes sui partes, sed per oculum tantum videat; et globus perfectus tangit planum, et impellit illud, quamvis solum per indivisibile tangat, et impetum imprimat. Adde, quod in sacramentis, licet, in ratione mutationis seu successionis, illud, per quod fit actio, sit quid indivisibile, tamen, considerando rem ipsam, semper est res aliqua divisibilis, ut aqua, sonus, vel similia.

21. *In quo instanti detur gratia.* — Sed quæres rursus, cum sacramentum constet forma et materia, in quo instanti ultimo detur gratia; an in eo, in quo absolvitur forma, vel in quo finitur materia; non enim semper sunt unum et idem. Respondetur: in quovis illorum, quod fuerit ultimum complementum sacramenti; non enim est de substantia sacramenti, quod physice finiatur prius forma, quam materia ejus, sed interdum potest prius absolvi forma, interdum materia, dummodo moraliter jungantur, ut supra dictum est. Et donec utraque finita sit essentialiter, non est completum sacramentum. Et ideo indifferenter fieri potest, ut sacramentum compleatur posterius tempore quam forma, si nondum finita sit materia, et e contrario; atque eadem ratione, interdum

fieri potest effectus in instanti completivo formæ, interdum vero in instanti terminativo materiæ, dummodo sit illud, in quo completur sacramentum; nam hoc solum est per se ac simpliciter necessarium. Unde fit, hunc effectum gratiæ re ipsa interdum fieri per formam, interdum per materiam, interdum per utramque ratione ultimi termini, si contingit utrumque simul concurrere; semper tamen effectus tribuitur toti sacramento, quia fit in virtute totius, ut supra dictum est. Et eodem modo tribuitur magis formæ, quam materiæ, quia illa est, quæ determinat significationem materiæ, vel etiam, quia regulariter consummatur in ea sacramentum.

22. Ultimo supererat hic difficultas specialis de sacramento Eucharistiæ; nam quæ hæc tenus diximus, proprie solum procedunt de his sacramentis, quæ consistunt in usu, et ita communia sunt omnibus sine ulla speciali difficultate; at vero sacramentum Eucharistiæ est permanens; et quamvis constet, non conferre gratiam ante usum manducationis, tamen ille usus habet successionem, et in eo reperiuntur duo valde diversa a cæteris sacramentis. Primum est, quod a principio usus usque ad finem, totum sacramentum jam existens applicatur et tangitur a suscipiente. Secundum, quod aliquo tempore post finitam manducationem permanet sacramentum applicatum suscipienti, et ideo est specialis difficultas in hoc sacramento, quando conferat suam gratiam. Sed cum sit illius propria, in propriam etiam materiam reservanda est.

SECTIO III.

Utrum sacramenta conferant gratiam postquam transacta sunt.

1. *Questionis sensus explicatur.* — *Primus modus dicendi constituitur et probatur.* — Hæc difficultas potissimum procedit de gratia habituali, et de sacramentis, quæ consistunt in usu, et si extendatur ad Eucharistiam, intelligenda est de tempore, postquam species sacramentales esse desierunt, seu corruptæ sunt, nam de tempore, quo permanent in stomacho post manducationem, est specialis difficultas suo loco tractanda. Rursus supponendum est certum esse, sacramentum, proprie loquendo, unum tantum effectum gratiæ conferre. Unde, si sacramentum, quando recipitur, suum effectum conferat,

certum est postea non conferre alium similem, quia tantum ordinatur ad unum adequatum effectum gratiæ conferendum; agimus enim de gratia habituali, nam de auxiliante infra dicam. Non disputo nunc, an illa gratia per sacramentum semel collata, si postea per peccatum perdat, rursus per poenitentiam restituatur, quia hoc non est præsentis instituti, sed ad materiam de poenitentia spectat; et quamvis demus, illam gratiam restitui, illa non censebitur novus effectus sacramenti, sed quasi continuatio prioris sine nova dependentia a sacramento, sed ex vi applicationis meritorum Christi factæ per præcedentem sacramenti susceptionem. Difficultas ergo superest, quando sacramentum eo tempore, quo suscipitur, non habet effectum propter fictionem seu obicem suscipientis, an postea incipiat illum habere, quando fictio, seu obex removetur. In qua duo possunt esse extremi modi dicendi, plures autem medii inter illos extremos. Primus in universum negans, sacramentum, quod semel fuit impeditum ne conferret suum effectum propter obicem, postea illum conferre, etiam si obex auferatur, quia promissio gratiæ solum est facta susceptioni ipsius sacramenti, et sub ea conditione, si homo non pgnat obicem; si ergo homo conditionem non implet, et obicem ponit, promissio Dei non habet effectum, atque adeo Deus liber manet ab omni obligatione conferendi talem effectum. Rursus sacramentum jam non est, ut possit illum conferre. Ergo non est, cur dicamus, illum, per sacramentum postea dari, quia nec sacramentum dat, nec Deus dare tenetur ratione sacramenti; quod si non tenetur, neque infallibiliter dat, nec ex certa lege. Ubi enim est hujusmodi lex? Quod si non infallibiliter datur, jam non est effectus sacramentalis. Et confirmatur. Nam sacramentum non dat gratiam, nisi per illud applicentur Christi merita ad hunc effectum; sed ei, qui ponit obicem sacramento, non applicantur tunc Christi merita, quia est inimicus et incapax meritorum Christi; ergo illud sacramentum non potest postea habere effectum in hujusmodi homine. Probatur consequentia, quia sine applicatione meritorum Christi non potest gratia conferri, quia hæc applicatio non fit, nisi per ipsum sacramentum, quando suscipitur. Et hanc sententiam necesse est doceant illi auctores, qui negant baptismum habere effectum recedente fictione. Quia si de aliquo id affirmandum est, maxime de Baptismo.

Hos autem auctores referam in propria materia.

2. *Secundus modus dicendi.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Secundus modus dicendi est omnia sacramenta, si cum fictione suscipiantur, illa postea ablata, incipere conferre suum effectum gratiæ sanctificantis. Ita sentit Cajetanus, t. 4 Opusc., tract. 5, q. 5, de Confess. informi, et Pet. Soto, lect. 4, de Baptism., et videtur esse sententia D. Thomæ, in 4, d. 47, q. 3, art. 4, q. 1, ubi cum dixisset, eum, qui sine interiori pœnitentia absolvitur, tunc non percipere fructum absolutionis, consequi tamen illum recedente fictione, subdit: Sicut etiam est et in aliis sacramentis; unde eidem sententiæ adhærere videntur Palud. ibi, q. 8; Capr., q. 2. Ratio hujus sententiæ esse potest, quia sacramentorum omnium institutio et causalitas ejusdem rationis est. Constat autem, aliqua sacramenta habere effectum recedente fictione; ergo idem dicendum est de omnibus. Dices, in quibusdam esse specialem causam et necessitatem, ut in baptismo, aut pœnitentia. Sed contra, quia absolute nulla est necessitas, ut sacramentum incipiat habere proprium et specialem effectum. Satis enim erat, quod homo posset resurgere a peccato per contritionem, absque voto ejusdem sacramenti, sed potius cum ordine ad sacramentum susceptum, quod fieri potest absque effectu ex opere operato. Nam sicut supra diximus, quando datur gratia per contritionem in voto futuri sacramenti, non dari ex opere operato, sed solum juxta dispositionem operantis, cum ordine ad sacramentum futurum, ita posset dari gratia, solum juxta dispositionem operantis cum ordine ad sacramenta præterita absque effectu ex opere operato, et illa gratia esset sufficiens ad salutem. Ergo quod sacramenta aliqua habeant effectum ex opere operato, recedente fictione, non est propter necessitatem simpliciter, sed propter majorem utilitatem, et propter efficaciam meritorum Christi, et sacramentorum ejus; hæc autem ratio locum habet in omnibus sacramentis. Quæ in hunc etiam modum explicari potest, quia per usum sacramenti applicantur Christi merita, quantum est ex parte Dei et Christi; ergo post sacramentum receptum manent Christi merita applicata, et acceptata a Deo, ut quotiescunque ablatum fuerit impedimentum, statim habeant suum effectum. Nam sicut gratia prius collata per sacramentum, et deinde per peccatum amissa, postea per pœnitentiam

reparatur, quia ad illum effectum jam semel fuerunt applicata Christi merita, quæ semper manent in divina acceptatione, ita etiam gratia, quæ danda erat per sacramentum, quando primo susceptum fuit, si nullum invenisset impedimentum, reviviscet postea ablato impedimento, quia merita Christi fuerunt applicata et acceptata a Deo ad illum effectum. Atque similis conjectura, seu proportio sumi potest ex eo, quod opera mortificata reviviscunt postea, quoad effectum gratiæ, quia sacramentum, etiam si in peccato suscipiatur, licet, ut est opus hominis recipientis illud, sit opus mortuum, tamen ut est opus Christi, non est opus mortuum, sed vivum, quamvis quoad effectum sit veluti mortificatum ex indispositione operantis. Ergo sicut alia opera mortificata recedente peccato habent suum præmium, ita et sacramentum fide susceptum, recedente fictione, habebit effectum suum.

3. *Tertius dicendi modus.* — Tertius modus dicendi est, baptismum habere effectum suum, recedente fictione, alia vero sacramenta minime: ita Soto, in 4, d. 6, q. 1, art. 8. Alii hanc virtutem tribuunt baptismo et pœnitentiæ tantum, quod sentit Durand., in 4, d. 4, quæst. 4, n. 8, et d. 47, quæst. 13. Alii hoc tribuunt omnibus et solis sacramentis imprimentibus characterem. Quod sentit D. Thomas, in 4, d. 4, quæst. 2, art. 2, quæst. 3, ad 3; Palud., ibi, quæst. 5; Sylv., verbo, Baptismus, 4, in fin.; Covarr., in c. Alma mater, 1 p., § 4, n. 13, in fin. Quæ sententiæ commodius examinabuntur infra in materia de baptismo. Nunc solum in genere quæstioni propositæ respondetur, non repugnare sacramento novæ legis, ut sic, habere effectum, postquam transactum est, habendo scilicet effectum recedente fictione. Probatur, quia certum fere est, effectum baptismi dari recedente fictione. Est enim hæc aperta sententia Augustin., lib. 1, de Bapt., c. 42, et lib. 3, c. 43, quam omnes Theologi secuti sunt, ut in proprio loco videbimus. Motus est autem Augustinus ad hoc asserendum, propterea quod sacramentum baptismi iterari non potest; unde, ne homo, qui fide illum suscipit, perpetuo careat effectu hujus sacramenti, necesse est, ut effectus sacramenti, prius indigne suscepti, redire possit, recedente fictione. Quod maxime in hoc sacramento necessarium fuit, quia ejus effectus, scilicet remissio originalis peccati, est necessarius ad salutem, et sacramentum ipsum est me-

dium necessarium ad talem effectum obtinendum, ut latius in prædicto loco dicemus. An vero hoc sit proprium ejus, vel aliis etiam conveniat, tractabimus agentes de effectu baptismi.

4. *Sacramentum transactum non dat proprie effectum, sed Deus ratione illius.* — Ultimo addendum est, quando effectus sacramenti fit post sacramentum susceptum et aliquo tempore transactum, tunc non proprie fieri effectum ab ipso sacramento, sed dari a Deo intuitu sacramenti seu ratione sacramenti prius suscepti; cum enim sacramentum jam non sit, non potest proprie causare vel efficere gratiam. Nam causare et efficere supponit esse; ergo solum dicitur ille effectus dari ratione sacramenti, quia intelligitur manere in divina acceptatione; de qua re dicemus plura in sequenti disputatione.

5. *Ad argumenta in contrarium respondetur.* — Ad fundamenta aliarum opinionum facilis est responsio ex dictis. Ad rationem enim primæ sententiæ dicendum est, sacramenta, quæ habent effectum recedente fictione, id habere ratione divinæ promissionis, quæ sub hac lege et modo fieri potuit, et facta creditur, quando finis et natura sacramenti id postulare videtur. Unde ad fundamenta secundæ opinionis dicitur, hanc promissionem et institutionem non esse ejusdem rationis in omnibus sacramentis, quia non est in omnibus eadem causa et eadem necessitas, ut declaratum est. Cætera, quæ ibi dicuntur, facilia sunt, et ideo non est necesse ad singula prolixius respondere.

DISPUTATIO IX.

DE MODO QUO SACRAMENTA EFFICIUNT GRATIAM.

In hac disputatione non est sermo de modo effectiois ex parte ipsius effectus, ut ita dicam, id est, an fiat in instanti, vel successive, vel an fiat per creationem, vel eductionem de potentia subjecti. Nam prior quæstio in præcedenti disputatione expedita est; posteriorem vero obiter attingemus in sequentibus; est igitur sermo de modo effectiois seu causalitatis ex parte ipsius causæ seu sacramenti. Supponimus autem tanquam certum, sacramenta non efficere gratiam, ut causas principales, sed ut instrumenta. Quod est per se notum, quia neque ex se, neque in se habent virtutem sufficientem ad hujusmodi effectum producendum. Solum ergo

superest quæstio de modo instrumentorum, id est, an sacramenta efficiant, ut propria instrumenta physica, vel alio perfectiori modo et minus proprio. In qua re dicemus prius, quid fuerit possibile; deinde quid de facto fuerit a Christo institutum.

SECTIO I.

Utrum sacramenta potuerint esse propriæ causæ instrumentales physiciæ, gratiæ sanctificantis.

1. *Prima sententia negat.* — *Fundamentum.* — Auctores fere omnes, qui negant sacramenta de facto esse instrumenta physica, supponere videntur esse impossibile communicare sacramentis hoc causalitatis genus; et ita videntur procedere Durand., Scot., Capreol., et alii sect. seq. citandi. Potest autem hæc sententia fundari. Primo in speciali quadam proprietate sacramentorum, eorum præsertim, quæ in usu consistunt, scilicet, qui sunt entia successiva, quæ, dum fiunt, non sunt perfecta, et quando sunt perfecta, jam non sunt; quando autem non sunt, efficere non possunt. Sed hoc fundamentum expeditum a nobis est ex dictis disp. præced., sect. 2. Ubi declaravimus, quomodo effectus gratiæ fiat in aliquo instanti, in quo sacramentum perficitur et existit per aliquid reale, pertinet ad intrinsecum complementum suum, per quod potest gratiam efficere. Secundo fundari potest hæc sententia in aliqua speciali proprietate gratiæ efficiendæ per sacramentum, scilicet, quia gratia tantum potest fieri per creationem; nulla autem creatura potest esse creationis instrumentum. Major patet, quia cum gratia sit forma supernaturalis, non continetur in potentia animæ; ergo non potest inde educi; oportet ergo ut creetur. Tertio potest fundari in generali ratione omnium divinatorum operum seu miraculorum, quæ superant virtutem creaturæ, et ideo non videntur proprie ac physice effici posse ab inferiori creatura, quia impossibile est operari sine virtute operandi; creatura vero non habet virtutem ad gratiam efficiendam. Quia neque habet illam connaturalem, cum tota illa actio sit supra naturam ejus; nec superadditam, quia nulla res seu qualitas ei additur, per quam agat. Quæ ratio maxime locum habet in sacramentis, quæ in esse naturæ seu entitatis suæ sunt valde imperfecta, quia solum sunt quidam motus locales, vel soni, aut voces. Et augeri potest hæc difficultas. Primo, quia in his rebus, præ-